

# QUÆSTIONES

## de re Morali—Canonica—Liturgica

### CASUS MORALIS:

*Extra fines territorii suae parociae, Placidus parochus, vere tali nomine dignus, quadam die, summa mane, immemor, vespere eius diei matrimonii celebrandi, inscio Gervasio vice-parocho, egressus est. Jam diei multum est, et dum Gervasius ad confessiones audiendas incumbit, inundatio virorum et mulierum, juvenum et puellarum affluit in templum; classis exercitusque praefecti non desunt, inter quos non pauci acatholici.*

*Adest sponsus in sacrario cum testibus, genuflexa ante altare maius expectat sponsa, blanditiis ancillarum suarum circumdata. Vocatus Gervasius ad benedicendum nuptiis, renuit. Iterum iterumque rogatus a Protasio sacerdote respondit: non possum, licentiam assistendi non habeo.*

*Unum cappellanum militare[m] jam taedet verborum Gervasii; tandem ait illi: Me miseret tui, macte animo; sponsus est ordinum ductor, ego sum cappellanus militum ideoque delego te ad assistendum huic matrimonio.*

*Annuit Gervasius et nullum documentum necessarium in promptu habens, coram duobus testibus acatholicis, nuptiis benedixit.*

*Postridie parochus domum non rediit: pridie in villa sua, placide requievit in pace Christi.*

### Quaeritur:

*Primo: An vice-parochus gaudeat jurisdictione parochiali.*

*Secundo: An cappellanus castrensis possit delegare aliquem sacerdotem ad assistendum matrimonio militum.*

*Tertio: Quid ad casum.*

### AD PRIMUM: An vice-parochus gaudeat jurisdictione parochiali?

Respondendum negative: Nam nomine parochi in Codice venit: 1) parochus simpliciter ita vocatus i.e., sacerdos, cui parocia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii

loci auctoritate exercenda. Can. 451 p.i.; 2) quasi-parochus qui quasi paroeciam regit in vicariatu aut praefectura apostolica; 3) Vicarius-paroecialis, si plena potestate sit praeditus, qualis est, a) vicarius actualis ad normam canonis 471, curam animarum gerens in paroecia pleno iure unita seu incorporata personae morali, b) vicarius oeconomus constitutus ad regendam paroeciam vacantem (can. 472 p.i.), c) vicarius cooperatores (unicus vel antiquior) aut parochus vicinior, qui ad normam can. 472 p. 2, ante oeconomi constitutionem interim assumit regimen paroeciae vacantis, d) vicarius substitutus parochi ultra hebdomadam absentis ad normam can. 405 p. 4, post Ordinarii adprobationem, non ante illam (cfr. Responsum Commissionis Codicis 14 Luglio 1922), nisi ad normam p. 5, ejusdem canonis in casu urgenti officium obtineat independentem ab adprobatione Ordinarii, quo casu, nisi parochus facultatem limitaverit, valide et licite assistit ante approbationem Ordinarii, donec is aliter statuerit (cfr. A.A.S. XIV p. 257), e) vicarius adiutor qui parochi permanentem inhabili ita datus fuit, ut hujus vicem in omnibus supplendum habeat (Can. 475, f) qui ab Ordinario designatus paroeciam administrat, pendente recursu parochi eadem privati ad normam can. 1923.

Vice-Parochi utique constituti in nostra regione non enumerantur in Codice et ideo habendi sunt uti simplices adsistentes Parochi in administratione Sacramentorum et ad hoc deputantur salva adprobatione Ordinarii: cum ergo nulla iurisdicatio paroecialis iis conferatur, nulla iurisdictione paroeciali gaudere possunt.

**AD SECUNDUM: An cappellanus castrensis possit delegare aliquem sacerdotem ad assistendum matrimonio militum.**

Ad normam canonis 1094 "ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram Parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus". In ordinaria igitur celebratione matrimonii omnino requiritur assistentia vel parochi loci vel Ordinarii loci vel sacerdotis rite delegati et duorum testium. Nomine parochi intelliguntur omnes parochi proprie dicti et omnes qui parochis aequiparantur, quod iam dictum est in responsione ad primum. His addi possunt Rectores **piorum** cujusvis generis locorum a paroeciali iurisdictione exemptorum, sed requiritur ut habeant veram potestatem paroecialem

(cfr. S.C.C. I Feb. 1908), et parochi personales seu parochi qui exercent iurisdictionem paroecialem non in territorio determinato, sed in determinatas personas, quales sunt e.g. cappellani militares. Quoad istos cappellanos militum statuitur in Codice can. 451 p. 3, "scilicet". Circa militum cappellanos sive maiores sive minores standum est peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis."

Ideo peculiaria statuta S. Sedis de cappellanis consulenda sunt. Valide ergo isti cappellani assistunt matrimonio militum sibi subditorum si ex S. Sedis praescripto plenam in eos potestatem paroecialem acceperint. S. Congregatio Consistorialis die octava Decembris 1939 edidit apud Acta S. Sedis Vol. VI. Ann. 1939 fol. 70 indicem facultatum, quae concessae fuerunt cappellanis militum, sive maioribus sive minoribus, bello perdurante, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII. In hoc indice non enumeratur facultas assistendi matrimonio, et ideo non videntur cappellani militum ista iurisdictione paroeciali gaudere: in nostra regione saltem ex praxi Curiae Melitensis, cappellanus militum ut valide assistat matrimonio, indiget expressa delegatione parochi loci. Hinc cum cappellani militum, saltem apud nos, non gaudeant ista facultate, nec etiam illam subdelegare possunt, salvo tamen meliori iudicio.

### **AD TERTIUM: Quid ad casum.**

Matrimonium de quo in casu nostro videtur fuisse "per se" invalidum. Et ratio patet ex eo quod iam iam asserimus in responsione ad secundum. Tamen quis potest quaerere: num praescriptio canonis 209 de supplenda iurisdictione applicandum sit matrimonio: ad rem. Cappello: Vol. III. De Sacramentis fol. 670: "Assistentia matrimonio non est actus iurisdictionis; quare videtur neganda applicatio can. 209 ubi agitur de supplenda iurisdictione. Nihilominus huiusmodi assistentia maximam habet analogiam cum iurisdictione; idcirco quae dicuntur de iurisdictione, dicenda quoque sunt aliqua ratione de assistentia. Ita Wern. Vol. IV nr. 176. Ferreres Vol. II, nr. 1075 et alii comuniter: hinc matrimonium de quo in casu nostro, uti enarrato, posito errore communi de facto, fuit validum quia stante dubio iuris probabili et positivo, certe Ecclesia supplevit carentiae facultatis in Gervasio assistendi matrimonio.

Quid vero de testibus acatholicis? Ius novum ut antiquum, nullam specialem qualitatem in testibus requirit: saltem ad validitatem: sufficit ergo ut naturaliter apti sunt ad fidem faciendam: quod ideo spectat ad validitatem tamquam testes assumi possunt personae qualescumque sive mares sive feminae, modo actu rationis usu gaudent et testandi capaces sint. Acatolici, excommunicati et infames non adhibentur licite. Quoad haereticos speciatim S. Off. declaravit 19 Aug. 1891: "eos non esse adhibendos, posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum. Ergo etsi valide, graviter illicite Gervasius egit adhibendo testes acatholicos.

### QUAESTIO CANONICA:

*Utrum scriptura de qua in canone 1162 p.i. requiratur ad valorem actus:*

Cappello Vol. II nr. 666. Summa Iuris Canonici.

Resp: Verius scriptura non est ad valorem. Sufficit ergo quoque consensus subsequens inceptam aedificationem.

### QUAESTIO LITURGICA:

*In quibus Ecclesiis et sub quibusnam conditionibus permittatur Missa votiva solemnior de SS.mo Corde Jesu in prima Feria sexta cujusque mensis. An haec Missa in ferialibus per annum, loco Missae conventualis dici possit.*

A) Quibus in Ecclesiis?

Ista Missa votiva sive in cantu sive lecta permittitur unica iis in Ecclesiis et Oratoriis (etiam privatis) ubi, adprobante loci Ordinario, ante Missam vel ejus tempore vel post eam peraguntur exercitia peculiaria in honorem ipsius Divi Cordis. Talia exercitia esse possunt 1) Communio generalis, 2) Actus reparationis vel consecrationis erga Sacratissimum Cor Jesu, 3) Concio vel Litaniae ejusdem Divini Cordis vel alia similia exercitia.

B) Sub quibusnam conditionibus:

Praecipuae hujus celebrationis conditiones "sine quibus non" sunt:

- 1) Adprobatio functionis a loci Ordinario.
- 2) Ut Missa votiva solemnior sit unica in unaquaque Ecclesia.
- 3) Ut Missa cum peculiaribus exercitiis conjuncta sit et unum cum iis moraliter actum constituat.

Insuper, praeter Feriam VI in Parasceve et Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, hujus Missae celebratione obstant etiam :

i) Dies quibus de festo Christi Domini fit Officium aut Commemoratio vel occurrat Vigilia aut dies infra Octavam quamvis simplicem.

ii) Vigilia Epiphaniae quamvis hujus Officium sit de Domnica impedita.

iii) Festum Purificationis B.M.V. cum sit quoque attento Mysterio festum. Christi, Domini, His in casibus dicitur Missa de Festo vel de Vigilia aut de Octava cum omnibus privilegiis Missae votivae solemnii propriis.

Haec Missa prohibetur :—

a) In festis duplicibus primae classis, b) In Ecclesiis ubi unus tantum adest sacerdos qui missam conventualem celebrare debet, c) In Ecclesiis unam tantum Missam habentibus in Festo Sancti Marci Evangelistae, si fiat processio litaniarum majorum et die quo celebranda sit Missa a loci Ordinario imperata. His in tribus casibus loco Missae votivae de SS.mo Corde Jesu, commemorationem ejusdem Missae votivae cum influxu quoad Orationes Praefationem, et ultimum Evangelium propria, addere semper licebit, modo Missa impediens non fuerit de Requie.

C) An haec Missa etc.

Negative : Numquam dici potest loco Missae Conventualis in choro : Cfr. Decretum 20 Aprilis 1923. S.C.R.

C. BONNICI.